

dent. Vocantur vero illi *Pastores, Patres, Legati Dei, mysteriorum divinatorum Dispensatores, Operarii & Dei Cooperatorii, Viri Dei, Angeli, Uncti, Sacerdotes, Doctores, Lux Mundi, Sal terræ, Piscatores, Oeconomi, Testes, Tubicines, Pracones, Praefecti, Presbyteri, & quæ sunt alia nomina, quibus in Scripturis designantur. Cum igitur singula maximi momenti sint, vel ex his augustissimi illius muneris qualitas satis innotescit, consequenter Verbi Ministro non nisi caute ac prudenter illud munus obeundum esse, ostenditur. Ad specialiora, quæ instituto majorem lucem affundent, & sic statim thesin secundam progredior sequentis argumenti:*

*Si Minister Verbi divini unquam caute & circum specte in officio versari, sane id ea, quæ ex umbone sacro verba facit, hora fieri debet.*

*Patres Concilii Antiocheni Hæretico Samosateno, quod ex suggestu vili & ligneo prædicare renuerit, e contrario pretiosissimum, veluti thronum Regium, sibi extrui curaverit, vitio vertisse memini. Certe cathedra sacra, s. lignea s. aurea, est locus ille, quem nemo sine quodam timore adspicere, nedum sine tremore attingere potest. Sive enim quis se ipsum, hominem debilem, variis peccatis contaminatum, innumerisque imbecillitatibus obnoxium, in cuius auribus toties, quoties alta petit, illud resonet: MEMENTO, TE ESSE HOMINEM! sive infensissimos hostes infernales, contra quos in suggestu quasi in acie stat & pro Gloria Dei militat, quo & verba Paulina: ἡμεῖς οὐκ ἐσμὲν ἡμῖν ἡ πάλη πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τοὺς ἀρχαίους, πρὸς τοὺς ἐξουσίους, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκοτοῦ τοῦ αἰῶνος τοῦ ἰσχυροῦ, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις, collineant, & verba Lutheri: Verbum Dei prædicare, nil aliud est, quam in se derivare totius inferni & diaboli furorem - - Est autem periculosissimum vitæ genus, tot dentibus satanae se objicere, pertinent, sive Auditores suos, oves*

B

pascen.